

MELETEMATA
DE
VARIO LIENIS VOLUMINE.



DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA
DORPATENSI
AD GRADUM
DOCTORIS MEDICINÆ
RITE ADIPISCENDUM
LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET
AUCTOR

Rudolphus Schmidt.

Tartu Raamatukogu
Raamatukogu

46200

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUÆ J. C. SCHÖNMANNI ET C. MATTIÆSENÆ.

MDCCLVI.

1856

VIRO DILECTISSIMO

CAROLO MAGNO FREY

HOC EXILE OBSERVANTIAE ET REVERENTIAE TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

Imprimatur

haec dissertatio, ea conditione, ut, simulae typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die II. mens. Septbr. a. MDCCLVI.

Dr. Samson,

ord. med. h. t. Decanus.

N^o 205.

(L. S.)



459294

Praefatio.

Disquisitiones meas ad lienis pondus spectantes ut instituerem, hac causae me adduxerunt. Primum tempore recentissimo plures, praesertim *Koelliker*, vir illustrissimus, quemadmodum ex historica commentationis nostrae parte elucet, exoptatissimum esse judicaverunt, accuratis magnitudinis lienis definitionibus investigationum aliarum de physiologicis splenis functionibus susceptarum eventus certius confirmari ac stabiliri. Deinde pensationes in alia animalium specie, ex parte etiam alia ratione ab *Joanne Landis* institutae me, ut similes facerem, perpulerunt. Denique observationes, quas *Dr. Kuchenmeister* in animalibus, medicamentis, quae certis pathologicis rerum conditionibus effectum haud dubium exhibent, porrectis, suscepit, me, ut eas examinarem, commoverunt. Quaestiones igitur, quas ob causas modo prolatas mihi explicandas esse censui, haec sunt: 1) Num omnino, certis rerum conditionibus physiologicis, magnitudo

lienens varietur necne? 2) Quid in ratione a *Landis* inita commutandum sit, ut experimentis mihi faciendis certiores eventus nanciscar? 3) Num medicamenta, quae vulgo in lienem agere dicuntur, aliqua ad ejus magnitudinem efficacia utantur annon? 4) Quae conclusiones, quod ad viro-
rum doctorum de lienis functionibus physiologicis sententias attinet, ex mearum scrutationum eventu deduci posse videantur?

Commentationem meam sic optime distribui posse putavi, ut, antequam mea ipsius experimenta et conclusiones inde efficiendas exponerem, primum brevi conspectu historico viro-
rum eruditorum sententias de lienis functionibus physiologicis propositas proferrem, deinde nonnulla de experimentis a *Landis* factitatis enarrarem, denique ex investigationibus a *Kuechenmeister* factis, quae magni momenti visa sunt, eligerem ac dijudicarem.

Conspectus historicus.

Jam *Hippocrates*¹⁾ lienem quasi regulatorem quandam existimavit, quo nunc fluida supervacua ex ventre amoverentur, nunc liquores ventriculo vesicaeque urinae subvererentur.

*Aristoteles*²⁾ unam tantum functionem spleni adscribit, fluida ex ventriculo ad se attrahendi.

*Haller*³⁾, *Soemmering* et *Moreschi* mechanicam quandam mutuamque effectum inter ventrem splenemque existare judicant, ita ut ventriculus alimentis impletus sanguinem in splene accumulatum inde in hepar propellat, qua re quum sanguinis ad lienem affluxus, ut per se intelligitur, impeditus sit, sanguinem ad ventriculum fluentem in concoctione partem habere ajunt.

Stuckeley et *Rush*⁴⁾ splenem sanguini reservando inservire arbitrantur, eo tamen inter illorum sententias discrimine intercedente, quod prior sanguinem hunc ventriculo tractuique intestinali, alter toti corpori reservari censet.

Clarke istorum adstipulatur opinioni, qui lienem aquae receptaculum esse statuerunt.

1) Ἱπποκράτης, περὶ νόσων. βιβλ. πρῶτ. Genevae 1657.

2) Ἀριστοτέλης, περὶ ζῴων μορίων τὸ γ'.

3) *Haller*: Element. physiol. Bernae 1764. Tom. VI, lib. XXI, Sect. I, § 5.

4) *B. Rush*: Medical and Physical Journal. Sept. 1806. Vol. XVI, p. 193. Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch praktischer Aerzte. Leipzig 1806. Vol. 23, p. 517.

Burdach ⁵⁾ splenem organum venosum esse ait, in quo sanguini relative tum plus oxygenii, tum plus hydrogenii praebeatur. Quodsi splen, ferro in usum vocato, deminuat, hoc neutiquam eo effici, quod hydrogenium inde evolvatur, sed potius eo, quod ferrum ad vasa arteriosa magis incitanda valeat, ideoque organorum venosorum actio coëreatur. Propter quam sanguinis desoxydationem et hydrogeisationem splenem existimat organum esse, quo bilis secretio praeparatur, unde fiat, ut in animalibus, quorum lien extirpatus sit, bilis minus copiosa, spissior tenaciorque cernatur minusque aquae contineat.

Horne ⁶⁾ multis, quae in liene sunt, vasis lymphaticis adductus in ea est sententia, ut illi etiam functionem fluida supervacanea recipiendi attribuendam esse credat.

Meckel et ipse mechanicam quandam mutuaque actionem inter ventriculum lienemque intercedere contendit, qua sanguis in hepar pellatur, idem tamen chemicae quoque permutationis mentionem injiciens.

Hodgkin ⁷⁾ splenis hoc officium esse opinatur, ut damna, quae ex ratione normali, qualis inter capacitatem et contenta systematis vasorum obtineat, subito turbata existere queant, quam maxime praecaveantur ac tollantur.

Mayer lienem, quod ejus corpora grisea quattuor post cibos assumptos horis intumescant, in chylopoësi partes gravissimas agere dicit.

5) **K. F. Burdach**: Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft. Leipzig.

6) **Horne**: London Philosph. transactions. 1811. P. 169.

7) **Hodgkin**: Edinb. med. and surg. Journal. Vol. XVIII, p. 83. **Meckel's** deutsch. Archiv für Physiol. Halle 1822, Vol. 7, p. 465.

Csermak splenem, ventriculo impleto, semper extendi observavit.

Czelechowsky illorum amplectitur sententiam, qui pressionem mechanicam statuunt.

Dobson ⁸⁾ majorem experientorum numerum in medium protulit, quae sibi persuasissent, in liene sanguinis copiam adauctam, nutritionis processu effectam, reservari. Hic splenem tribus post pastum horis circumactis omnino immutatum, post quattuor horas aliquanto majorem esse, post quinque, quo quidem tempore concoctio ventriculi ad finem adducta sit, summam magnitudinem assequi, indeque duodecim horarum spatio decrescere vidit. Quorum experientorum nonnulla in commentatione cl. **Landis** commemorantur. Ceterum ex modo, quo illa pericula instituta sunt, **Dobson** ne mensiones quidem suscepisse, sed omnino oculorum judicio confisum esse, apparet.

Porro **Dobson**, quum canum lienem extirpasset, statim magnam voracitatem subsequi observavit, quo addit, animalia, per quattuor horarum spatium cibis negatis, ex plethora in statum torpidum incidisse, sin brevioribus intervalis minores ciborum portiones assumissent, haec phaenomena non apparuisse.

Tertia experientorum series talis erat, qua **Dobson**, decem post pastum horis clapsis, ventriculum venamque jugularem canis aperiret decemque sanguinis uncias injiceret. Quo facto, lien, antea minor, sensim ac paulatim intumuit. In altero cane, quum ventriculus venaque jugularis quinque

8) **W. Dobson**: London Med. and Physic. Journal. Oct. 1830. **Frostep's** Notizen. Erfurt 1830. Vol. 28, p. 325.

post pabulum praebitum horis aperta essent, splen maximus conspicuum in modum decrevit, ne minima quidem alicujus ceterorum viscerum deminutione deprehensa.

Heusinger 9) nutrimenta ait ad lienem multum valere, cui quidem ex altera parte insignem ad bilem parandam effectum, ex altera desoxydandi vim attribuit.

Koelliker 10) lienem glandulam vasis sanguiferis abundantem nominat, cui quaedam ratio cum sanguinis renovatione et, quantum verisimile esse videatur, etiam cum bilis secretionem intercedat.

Notorum corpusculorum *Malpighi* turgorem quodam nexu cum organis chylopoeticis contineri arbitratur, ita ut, nutrimentis assumtis, illa verisimile sit solito majora esse, quamvis etiam in animalibus longius per tempus non patris ea eximie evoluta repererit. Porro corpuscula sanguinis in lienis substantia rubra interire contendit, idque cellulis se formantibus; quae cellulae tamen exstare a nonnullis, uti a *Hlasek* 11), omnino negantur. In mammalibus *Koelliker* corpuscula sanguinis quinque vel sex post cibos assumptos horis decomponi planissime observavit; id quod statim post pastum et cibus per diem negatis non evenire vidit. Etiam cellularum, de quibus quaeritur, formationem cum chyloficatione conjunctam esse *Koelliker* existimat. *Ecker* 12)

9) *C. F. Heusinger*: Ueber den Bau und die Verrichtungen der Milz. Thionville 1817.

10) *Microscopische Anatomie* von Dr. *A. Kölliker*. Leipzig 1854. Vol. II, § 183 et seq.

11) *Hlasek*: Disquisitiones de structura et textura lienis. Dissertatio inaug. Dorpati Liv. 1832.

12) *A. Ecker*: Veränderungen der Blutkörperchen in der Milz. Zeitschrift für rat. Medicin. VI. 1847.

eidem addictus est sententiae. In contrariam autem *Gerlach* 13) discedit, qui corpuscula sanguinis in liene oriri asserit.

Experimenta a Landis facta.

Mutationes magnitudinis lienis in experimentis ab *Joanne Landis* 14) institutis quam accuratissime definiuntur. Qui vir doctus non satis habuit, aequae ac *Dobson* magnitudinis mutationes solo oculorum iudicio statuere, sed trutinam non fallacem adhibere maluit.

Landis solummodo in cuniculorum sanorum lienem variis post pastum periodis inquisivit, quem in finem cuniculis jam adultis usus, iis per horarum 48 spatium nihil cibi porrigebat, quo facto, per horam dimidiam herbis vel brassicae lactucaeque sativae foliis eos cibabat. Inde quum ictu cervicibus inflicto horis 2 vel 5 vel 8 vel 12 vel 24 vel 48 post pastum necavisset, unumquodque animal quam diligentissime pensabat. In cadaverum sectionibus ventriculum proxime eum locum, quo oesophagus inscritur, quoque intestinum duodenum initium habet, desecabat atque pensabat. Vena portarum et vena cava inferior deligabantur hepaeque inde sejunctum pendebatur. Similis agendi ratio utrique renum atque pancreati aselli adhibebatur.

Triginta experimentis pari modo susceptis, sibi jure ac merito concludere posse videtur, lienis pondus modo regu-

13) *Gerlach*: Ueber die Blutkörperchen haltenden Zellen der Milz. Zeitschrift für rat. Medicin. VII. 1848.

14) *Johannes Landis*: Beiträge über die Lehre der Milz. Dissertat. Zürich 1847.

lari nunc decrescere nunc accrescere; qua in re tamen observationibus a prioris aetatis scrutatoribus institutis parum consentit. Etenim hunc maxime investigationum suarum eventum obtinuit, ut splenem 5—12 horis post pastum transactis maximum, statim post cibos assumtos minimum, inediaque 24—48 horas continuata, mediae magnitudinis esse observaret. Experimentorum suorum eventus, quatenus ad pondus pertinent, *Landis* hoc modo complectitur. Omnium primum tabulam de pondere absoluto splenis, quale diversis temporibus se exhibuisset, proposuit, sic, num forte mutationes quasdam subiret, definiturus. Qua tabula quum sententiam suam vel maxime confirmari credat, haec verba adjicit: „Da nun nicht zu erwarten ist, dass bei einer nicht grösseren Zahl von Beobachtungen, als ich anstellte, die Berechnung der absoluten Gewichte allein ganz gültige Resultate liefere, so habe ich auch noch das Gewicht der Milz im Verhältniss zu den verschiedenen von gewonnenen Organen und dem ganzen Körper berechnet, indem ich das Gewicht der Milz als Einheit annahm und in die übrigen Gewichte dividirte, wie folgende Tabelle zeigt.“

Zwischen der Fütterung und der Abrechnung des Splens obere Status dinstahl.	Nummer der Thiere.	Verhalten der Milz zur linken Niere wie Gr.	Verhalten der Milz zur rechten Niere wie Gr.	Verhalten der Milz zum ganzen Thiere wie Gr.
2.	1.	1 : 8,9	1 : 9	1 : 32,8
	2.	1 : 9,4	1 : 9,6	1 : 49,7
	3.	1 : 19,2	1 : 19,1	1 : 53,7
	4.	1 : 11,9	1 : 12,4	1 : 48,6
	5.	1 : 16,5	1 : 16,7	1 : 56,1
	6.	1 : 11,3	1 : 11	1 : 35,2
	7.	1 : 6,6	1 : 6,7	1 : 26,1
	8.	1 : 8,2	1 : 8,5	1 : 31,6
	9.	1 : 8,9	1 : 9,5	1 : 26
	10.	1 : 7,9	1 : 8,8	1 : 33,1
	11.	1 : 11,8	1 : 7,8	1 : 39,8
	8.	12.	1 : 12,1	1 : 12,6
13.		1 : 4,7	1 : 4,9	1 : 23,1
14.		1 : 7,3	1 : 7,4	1 : 30,1
15.		1 : 9,3	1 : 8,9	1 : 41,1
16.		1 : 3,6	1 : 3,5	1 : 14,5
17.		1 : 10,5	1 : 10,9	1 : 37,3
18.		1 : 7,4	1 : 7,8	1 : 24,3
19.		1 : 6,3	1 : 6,7	1 : 26,1
12.	20.	1 : 6,7	1 : 7,3	1 : 26,8
	21.	1 : 5,7	1 : 5,8	1 : 21,7
	22.	1 : 7,9	1 : 8,4	1 : 27,2
	23.	1 : 9,6	1 : 9,9	1 : 46,2
	24.	1 : 7,5	1 : 8,1	1 : 33,1
	25.	1 : 16,9	1 : 19,4	1 : 70,1
48.	26.	1 : 8,4	1 : 8,3	1 : 37,5
	27.	1 : 7,1	1 : 7,8	1 : 17,7
	28.	1 : 7,4	1 : 7,3	1 : 25,5
	29.	1 : 16,8	1 : 16,3	1 : 53,3
	30.	1 : 17,3	1 : 20,2	1 : 68,3

Experimenta a Kuechenmeister facta.

Plurima de lienis magnitudine experimenta Dr. *Kuechenmeister*¹⁵⁾, caque in animalibus diversissimis, fecit. Qui cum periculorum suorum nactus est eventum, ut splenem, dum concoctio duret, nec non variis medicaminibus porrectis, qualia sint arsenicum, mercurius corrosivus, cinchoninum, ferrum sulphuricum, oleum succini, Squilla, maxime accrescere dicat, inedia autem diutius continuata vel chinino, acido pyrolygno, mangano, sulphure, salicino, Galeopside grandiflora, chrysoplenio, tannino praebitis, contrahi ac diminui.

Equidem adducor, ut investigationes Dr. *Kuechenmeister*, quas plurimas facilitavit, quum praesertim eventus eorum meis experimentis omnino repugnare videantur, quo melius uno conspectu perlustrari queant, breviter afferam, demonstrari posse confisus, viro docto nequaquam jus suppeditasse, ex iis, quae fecit, periculis tales, quas deduxit, conclusiones colligendi.

Primae experimentorum seriei cuniculi sunt adhibiti, quorum splen, quum operatione quadam, quam *Kuechenmeister* accurate fuscque descripsit, denudatus ac dimensus esset, inde, quam maxime fieri potuit, in locum pristinum restituebatur. Tum, medicamento aliquo per longius temporis spatium praebito, lienem vir doctus iterum eximebat ac metiebatur. Aliis cuniculis ante operationem aliquamdiu medicamentum porrigebatur, quo facto operationi submissi in observationem adhibebantur. Alii rursus, medicamentorum usu

per aliquod tempus continuato, inde, operatione non facta, morte afficiebantur lienisque mensio in cadaveris sectione instituebatur. Duo cuniculi, nullis medicaminibus porrectis, tantum his operationi submissi sunt, ut videlicet, quatenus mutationes, quod ad lienis magnitudinem attinet, operatione effectae essent, cognosceretur.

Quorum alterius splen:

in operatione priore millim. 50 longus erat, millim. 6 latus,
 " " secund. " 45 " " " 6 "

Alterius cuniculi splen:

in operatione priore longitudine millim. 48, latit. mill. 9
 " " secunda " " 54 " " 40 erat.

Duo cuniculi, quum iis extractum Asplen. Rutae murariae ingestum esset, paulo post necati sunt.

Prioris cuniculi lien mill. 40 longit. ac mill. 2-6 latit. aeq.

Alterius " " " 37 " " " 4-7 " "

Tres cuniculi, quum omnium primam operatio facta lienisque mensio instituta esset, tum, magnis chinini dosibus investis, nonnullo tempore post iterum operationi submissi sunt. Splen cuniculi primi quarum dimensionum fuerit, non est allatum.

Splen cuniculi secundi:

in operatione priore millim. 33 longus, millim. 9 latus fuit,
 " " secunda " 40 "

Tertii cuniculi lien:

in operatione priore millim. 40 longus, millim. 8 latus fuit,
 " " secunda " 48 " " 40 " "

Aliquot diebus post animalibus extinctis, lien:

cuniculi secundi millim. 27 longus, millim. 3 latus,

" tertii " 42 " " 6 " fuit.

15) *Vierordt's Archiv für physiolog. Heilkunde.* Tübingen 1851. P. 85 seq.

Tribus cuniculis, nulla operatione facta, chininum est ingestum; in quorum cadaverum sectione lienis mensio hunc habuit eventum.

Cuniculi primi lien longitudine 40 millim., latit. 5 millim.
 „ secundi „ „ 45 „ „ 5-9 „
 „ tertii „ „ 45 „ „ 10 „ fuit.

Cuniculi, cui, nulla operatione facta, radix Squillae porrecta fuerat, lien millim. 58 long., millim. 9 latit. aequavit.

Praeterea lienis mensiones in aliquot cuniculis sanis institutae sunt, de quibus experimentis tamen, si a mensionum eventu discesseris, quo longitudinem millim. 39½, latitudinem millim. 7½ esse compertum fuit, nihil certius est commemoratum.

Ex omnium horum experimentorum eventu **Küchenmeister** hanc conclusionem efficit, ut cuniculorum lienem dicat intumescere quidem posse, ac nullum exstare argumentum, ex quo ejus se contrahendi facultas appareat.

Ad istam quod spectat opinionem, qua medicamenta ad lienem vim exhibere credantur, ipse sua pericula ad illam confirmandam nihil contulisse dicit, qua causa permotus equidem non putavi necessarium esse, doses animalibus injectas diserte afferri. Neque plus auctoritatis scrutator investigationibus a se in vitulis, vervecibus et subus institutis tribuit, sed, quum multa, quorum ratio ducenda fuerit, omissa sint, eas parum sufficere judicat. Denique a **Küchenmeister** experimenta in felibus talem in modum instituta sunt, ut animalia, postquam per nonnullum temporis spatium aliquod acceperant medicamentum, necarentur, quo facto, splenes dimensus, vir doctus eventus, quos nactus erat, in tabulam statim subjungendam redegit. Qua in re animalium magnitudinem omnino non respexit, sed sibi non nimium videtur

sumere, si in animalibus aetate provectoribus splenem majorem, in minoribus natu minorem esse statuerit.

Nummer.	Alter des Thiers in Monaten.	Grösse der Milz in Millimeter.			Medicamente.	
		Länge.	B r e i t e .			
			vorn.	hinten		
1.	2-3	55	18		Kalte Douche.	
2.	4	58-60	15	10-12		Electricität.
3.	4	über 40	15	10		Ferr. mit Mangan.
4.	5	50	15	7		Mang. sulph.
5.	5	50	18	8		Mang. sulph.
6.	5	70	18	8		Merc. corrosiv.
7.	6	65	18	9		Dolichos pruriens. (Abköch.)
8.	6	70	24	15		Währ. d. Verd. geschlachtet.
9.	6	70	12	6-8		Arsenik.
10.	6	55	18	10		Chinin.
11.	6	75	20	10		Cinchonia.
12.	6	50	17	10		Salicin.
13.	6	60	20	10		Ferr. sulph.
14.	6	70	20	10		Ol. succinic.
15.	6	55	16	8		Galeops grandif.
16.	6-8	45	15	8		Chinin.
17.	8	53	18	8		Tanning.
18.	8	60	18	10		Chinin.
19.	10	70	20	15		Nach 24stündigem Fasten.
20.	10	90	40	30		Chinchonia u. krankhafte Milz.
21.	über 10	70	30	15		Chinin.
22.	„ 10	70	25	13		Arsenik.
23.	„ 12	60	20	10		Acid. pyrol. (äusserlich).
24.	„ 12	120	30	20		Gentianin.
25.	vacat	50	20	8		Ol. Chaberti.
26.	vacat	70	20	8		Squilla.

Ex qua tabula ¹⁶⁾ *Kuechenmeister* ad quosdam casus praecipue doctorum animos advertit, nempe:

ad casum sub num. 49 allatum,

"	"	8	"
"	"	23	"
"	"	40	"
"	"	46	"

Ex hoc igitur experimentorum eventu eas, quas dixi, conclusiones deduxit.

At omnium primum mihi videor affirmare posse, in organo, quale lienem esse novimus, nequaquam aptum esse, varias dimensiones emetri. Etenim lienum forma non semper omnino una eademque est; quo quidem in casu solo ejus modi mensiones haud alienas esse existimo.

De prima experimentorum suorum serie ipse *Kuechenmeister* haec verba facit: „Liefert auch die erste Reihe meiner Versuche nur sehr dürftige Resultate, so glaube ich selbst dieses Wenige nicht verschweigen zu dürfen etc.“ Nihilosecuius tamen alio quodam loco talem sententiam proferit, ut eventum, quem prima periculorum serie obtinuerit, potestatem sibi facere iudicet statuendi, cuniculorum lienii facultatem intumescendi inesse. Contractionem vero lienis suis experimentis non demonstrari putat; nam, si quando lien deminutus fuerit, id non medicamentis in usum vocatis, sed capsulae lienis inflammatione exsudativa telaque compressione et permutatione exsudato provocata effectum esse.

Attamen, me iudice, ex eo, quem prima experimentorum series obtulit, eventum, lienem neque intumescendi ne-

que se deminuendi facultate praeditum esse elucet. Splen enim admodum inflammatus major, quam statu normali, sit necesse est, quo accedit, quod, sicuti ipse *Kuechenmeister* verissime admonet, exsudato compressio ideoque deminutio efficitur.

Neque plus auctoritatis *Kuechenmeister* iis, quae in subus vitalisque et vervecibus instituit, experimentis tribuendum esse censet, fortasse ob varias res, ad quas sero animi attentionem conversam esse dolet, periculorum eventum dubium minusque certum existisse arbitratus.

At plurimum pretii auctor experimentis de felibus susceptis attribuit. Veruntamen, quantum quidem ex viri docti commentatione rationem, ab eo in experimentis faciendis intam, cognoscere licuit, facere non possum, quin talia admoneam. Cl^m. *Kuechenmeister* non propositum habuisse, nisi therapiae in experimentis positae usum, eumque finem constanter secutum esse, vel inde apparet, quod tota ejus commentatione nullae reperitur mensiones accuratiores, mutationibus physiologicis praesentibus institutae. Quod autem huius modi experimenta omisit, omnium periculorum a *Kuechenmeister* factorum gravitatem aliquanto minuit. Nam, quemadmodum et ex meis experimentis infra proponendis et ex illis, quae *Landis* enarravit, patet, lienis magnitudo, si physiologicae adsunt mutationes, quamvis nulla adhibeantur medicamina, per se vel maxime variatur, neque omnino certo coargui potest, nonne fortasse mutationes, quae medicamentorum vi provocatae videntur, solis causis physiologicis innitantur.

Quae modo exposui, quo certius demonstrerentur, haec afferenda esse iudico. *Kuechenmeister* multas ex lienis cuni-

16) Loco citato p. 503.

corum sanorum mentionibus deduxit conclusiones, experimentis tamen, quae praecesserant, aut omnino non in medium prolatis, aut eo, qui nullo pacto sufficere possit, modo institutis. Neque enim tempus, quo animalia, antequam morte afficerentur, cibata fuerint, neque quanta pabuli copia fuerit, diserte commemoravit. Neque magis vir doctus aut magnitudinis aut ponderis animantium rationem habuit. Ad cuniculos quod attinet, animal nunc refert adultum, nunc magnum, nunc colore nigro, nunc cinereo fuisse, nonnumquam etiam nihil nisi cuniculum fuisse commemorans. In experimentis, quibus feles adhibuit, animantium aetati plurimum dedit, quum tamen splenis magnitudinem non tam ab aetate, quam a corporis magnitudine et pondere, pendere tum ex periculis a *Landis* tum a me factis manifestum sit. Qua in re vix spero quemquam futurum, qui mihi objiciat, methodum, quam *Kuechenmeister* sibi sequendam duxerit, veram esse, animantium aetatem et magnitudinem certa quadam ratione inter se contineri ratus. Satis enim inter omnes constat, animal bene nutritum celerius, quam quod saepius fame vexetur, evolvi.

Porro, id quod mihi maximi momenti videtur, nusquam, quo modo *Kuechenmeister* mentiones instituerit, memoratur. Mentiones enim diversissimis rationibus fieri potuerunt.

Namque aut licnem in mensuram stabilem gradibus distinctam imponere eoque emetri, aut, mensura pariter gradibus instructa sed motu facili super licnis facies non aequabiles posita, dimensiones definire licuit.

Mentiones vero, uti, quemadmodum jam admonui, per se parum sufficiunt, ita, si *Kuechenmeister* exemplum secutus solas longitudinem et latitudinem definire studeas, quam

profundus crasusque sit lien, non respiciens, omni dignitate sunt destitutae. Nam, altera dimensione deminuta, alteram augeri posse ac vice versa facile intelligitur.

Disquisitiones a me ipso factae.

Animalia, quae investigationibus meis adhibui, quantum quidem e specie externa colligere licuit, adulta erant. Quum vero haud negligendum videretur, alteram felem (namque de hac solum animalium specie mea experimenta factitavi) melius altera nutritam esse, duorum mensium spatio omnibus animalibus quotidie carnium quadrantem librae praebam, qua ratione illi, quod dixi, incommodo occursum esse existimo.

Namque, licet major minorve, quae aderat, adipis copia efficere possit, ut in corporis pondere definiendo majores observarentur varietates, tamen vix videatur quisquam jure statuere posse, lienis quoque ac ceterorum organorum pondus fuisse commutatum.

Animalia, quibus ad proxima usus eram pericula, jam horarum 48 spatio antea nihil ciborum accipiebant indeque, postquam quadrantem librae carni comederant, horis 2 vel $\frac{1}{2}$ vel 6 vel 12 vel 24 vel 48 vel ter 24 exactis, partim strangulando partim majoribus colli vasis dissecandis necabantur. Quorum casuum priore corporis pondus post mortem demum destinatum est, in posteriore, quum sanguis non probe excipi posset, jam ante.

Cadaverum sectio statim post necem facta est. In qua hanc rationem sequebar, ut cavo abdominis aperto splenem

exquirerem eumque, quam proxime vasis suis sejunctum, extemplo, ut errores ex evaporatione oriundi evitarentur, trutinæ imponerem. Nec poteram, quin rationem a *Landia* in deligandis vasis adhibitam parum exactam existimarem, quippe qua, priusquam pensationes fierent, plus minusve fluidi liene contenti intercidero ideoque varietates ponderis existere necesse esset. De hepato simili utebar agendi ratione, utpote qui nullum vasorum deligarem, sed omnia hepæque disjunctum persecerem et mantili imposita comprimerem sanguinemque scaturientem quam diligentissime detergerem. Vesicam felleam, incisione per longitudinem facta, bilis, quam continebat, copia nunc majore nunc minore vacuum reddcbam, hepæque eo modo præparatum pensabam. Quodsi fortasse majore minoreve sanguinis copia adhaerente in hepate pendendo nonnullos errores admissos esse haud negaverim, tamen eos quidem non tantos esse, quorum ratio ducatur, persuasissimum habeo. Ad ventriculæ quod attinet, non respexi nisi substantiarum, quæ inerant, copiam.

Præterea, ut cognoscerem, quantum forte aquæ in diversis organis et quidem diversis post pabulum porrectum temporibus contineretur, in compluribus animalibus eorum organorum particulas resecebam statimque inter scutellas vitreas, quarum pondus antea certo definitum fuerat, interponebam. Inde pensatas quum in fornace exsiccescendi causa deposuissem, denno quarta quaque et vicesima hora pendebam. Jam, si nulla amplius ponderis differentia apparebat, pondere residui aquæ expertis a frustuli exsiccati pondere deducto, quantum fluidi evaporatum esset, computabam.

Medicamenta, quæ animalibus invehentur, aut soluta

in venam jugularem injiciebantur aut pilularum forma per ventriculæ ingerebantur.

Chininum quum in organismo morbo affecto haud dubiam ad lienem vim et effectum exhibeat, quam tamen Dr. *Kuechenmeister* suis investigationibus nixus in sano quoque organismo manifestam esse arbitratur, equidem id medicamen præ ceteris ad experientia mea adhibendum esse duxi. Itaque chinino muriatico ad injectiones, chinino sulphurico forma pilularum per fauces invehendo utebar. Qua de re certiora in singulis experimentis commemorabo.

Pensationes singulae, commutationibus physiologicis præsentibus, in felibus institutæ.

Nr. 1.

Felæ femina duabus post pabulum assumptum horis strangulata, splen colore intense rubro, hepar colore rubicundo lucido tincta apparuerunt.

Corporis pondus	2407	Gr.	fuit.
Lienis	8,9	„	„
Hepatis	89,2	„	„
Renis sin.	9,0	„	„
Renis dext.	9,15	„	„

Nr. 2.

Felæ femina duabus post pastum horis strangulata lienem è rubro caeruleum, ventriculæ oppletum, hepar colore intense rubro imbutum, vesicam felleam laxam ostendit.

Corporis pondus	3447	Gr. aequavit.
Lienis	43,26	„ „
Hepatis	129,2	„ „
Renis sin.	22,25	„ „
Renis dext.	20,2	„ „

Nr. 3.

Feles mas, quum duabus post cibos assumtos horis vasa colli dissecta essent, in cadaveris sectione ventriculum repletum, lienis colorem lucidum, hepatis intense fuscum, vesicamque felleam modico impletam praebuit.

Corporis pondus	3520,5	Gr.
Lienis	41,5	„
Hepatis	125,2	„
Renis sin.	25,35	„
Renis dext.	24,25	„

Nr. 4.

In fele mare, quum vasa colli duabus post pabulum sumtum horis dissecta essent, lien colore rubicundo pallido, hepar colore intense rubro tinctum, ac vesica fellea laxam se exhibuit.

Corporis pondus	3443	Gr.
Lienis	9,9	„
Hepatis	142,54	„
Renis sin.	21,76	„
Renis dext.	23,32	„

Nr. 5.

In fele femina, duabus post pastum horis strangulata, ventriculus et aëre et cibus admodum impletus, vesica fellea

minus referta, lienque et hepar colore intense rubro imbuta apparuerunt.

Corporis pondus	3470	Gr.
Lienis	5,74	Gr.
Hepatis	147,77	„
Renis s.	23,85	„
Renis d.	24,905	„

Nr. 6.

Feles femina, quattuor post cibos invecos horis strangulata, ventriculum ex parte oppletum, hepar colore lucido, splenem intense rubro imbutum, vesicamque felleam valde laxam obtulit.

Corporis pondus	3444	Gr.
